

Est autem haec virtus *Obedientiae* non solum necessaria prorsus individuo cuilibet, si tamen vult esse christianus, sed fundamentum est etiam super quo omnis societas constituta est, et vinculum quod eam conservat, uti statim apparebit cuilibet consideranti ipsam hominis et societatis naturam, et simul providentiam Dei, qui sicut in ordine *materiali*, voluntate sua, necessitatem imponit creatis unicuique secundum naturam suam, sed certo et determinato iuxta circumstantias modo agendi, ut ita ordo ipse materialis observetur; ita etiam in ordine *moralis*, in quo agens est libera hominis voluntas, hanc regit lege mandatorum suorum, et ita disposuit societatem humanam, tum domesticam, tum civilem et ecclesiasticam, ut ordine mirabili infima per media, media per summa regantur lege obedientiae debitae primo fonti omnis auctoritatis, id est ipsi Deo: qui ordo nisi observetur, omnia statim perturbantur, et pax et tranquillitas et felicitas omnis societatis pereat necesse est. Infans nascitur inermis prorsus, et in omnibus indigens auxilio; Deus providebit in bonitate sua matrem et patrem, qui filium educent. Hinc primordialis societas: *familia*.

Familiae iuxta familias crescunt in gentes, tribus, nationes; singulae iuribus suis gaudent, territorium sibi proprium occupant, legibus utuntur suis, et forma gubernii plus minusve perfectis. Haec *societas civilis*.

Divina tamen providentia, quae hominem creavit, ut cognoscat et laudet Creatorem suum, eique serviat, et ita ad finem ultimum, h. e. gloriam aeternam perveniat; nec individuum, nec societatem, sive domesticam sive civilem, suo reliquit arbitrio, sed tum revelatione primitiva, data primo parenti, tum lumine intellectus et conscientiae singulos ad fidem direxit.

Verum homo abutens liberae suae voluntatis arbitrio, et a sensibus per peccatum depravatus, et malis cupiditatibus abreptus, in omnem mox deflexit malitiam et perversitatem.

Miseratus autem Creaturae suae, quam noluit abicere, apparitionibus primum, miraculis et portentis misericordiae suae et iustitiae iterato genus humanum illuminavit et docuit. Dein ex omnibus gentibus populum sibi elegit, speciali regendum providentia, propriis legibus et ritibus formandum et gubernandum, *Ecclesiam veteris testamenti* constituit.

Per Moysen, servum suum, legem tradit populo. In Moysen omnis potestas collata: ipse dux et legislator, interpres legis et in nomine Dei plena potestate solus cuncta regens. Mox tamen, iam aetate gravis, et Dei monitu iudices constituit, et seniores et principes tribuum et patrem Aaron, summum pontificem, qui legem Dei populum doceat eamque illi interpretetur.

Post Moysen dux et iudex populi Iosue: post illum ceteri iudices: dein loco iudicum reges, quorum primus Saul. Quae tamen ad cultum et legis explicationem spectant sub iurisdictione exclusiva manent Pontificis et sacerdotum. Ipse Saul a Deo reiicitur, cum sacrificia Deo offerre praesumat. Similiter rex Azarias, sacerdotis officium usurpans et incensum Deo offerens statim immissa lepra pro tota deinceps vita consortio civili privatur.

Omnis scilicet potestas a Deo, qui homini illam communicat in bonum commune; pro rerum adiunctis in forma diversa sed non nisi ex ordinatione divina realiter existens. Et haec veritas adeo manifesta et fundamentalis, ut apud omnes populos antiquitatis,

quantumvis foedissima idololatria in absurdissimos errores abreptos, firma constiterit, et ipsi a diis suis omnem potestatis suae originem et ius repetierint, imo hac de causa deorum filios se iactaverint et inter deos post mortem adnumerari voluerint, vel etiam adhuc viventes, uti notus ille Nabucodonosor, divinos honores exegerint; vel etiam uti adhuc usque ad Constantinum Romani Imperatores cum civili sacerdotis potestatem qua Summi Pontifices gaudent sibi arrogaverint. Hinc quasi summario in Prov. (VIII, 15) paucis verbis haec veritas declaratur: « Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt. »

Impleto tandem tempore, quo Deus ipse ad plenioram instructionem, humanam naturam accipere stauerat, venit in persona Christi Domini instituere *Ecclēsiā* suam *novi* et aeterni *testamenti* pro universo mundo, pro toto deinceps tempore.

« Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes docete omnes gentes ». Matth. XXVIII, 18). Sicut misit me Pater et ego mitto vos (Ioan. XX, 21). Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit (Luc. X, 16). Regnum meum non est de hoc mundo (Ioan. XVIII, 36). Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo (Matth. XXII, 21). Et addens verbis exemplum, etiam miraculum facit, ut *solvat* tributum pro se et Petro. Ita iam nascens voluit iter molestissimum peragi a matre et eius sponso, ut obedient Caesaris mandato.

Hisce stabilita verbis gravissimis potestas Ecclesiae in personis Apostolorum, et consolidata verbo et exemplo potestas civilis, sicuti ante per triginta annos in Nazareth dederat exemplum subiectionis auctoritati paternae, uti refert Evangelista: « et erat subditus illis. »

Quod Christus Dominus verbo et exemplo docuit, hoc idem Apostoli. Et quidem incipiendo a familia: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae. Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam » . . . . « Filii, obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est. Honora patrem tuum et matrem tuam ut bene sit tibi et longaevis sis super terram . . . . et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini . . . . Et vos domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum . . . . Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo; cum bona voluntate servientes Domino, et non hominibus (Ephes. cap. V, 22, 25 – VI, 1, et seq.). Ut autem gradum faciamus ad doctrinam Apostolorum circa *potestatem civilem*, magnificis et clarissimis verbis illam invenimus expositam a S. Paulo in Epistola ad Rom. « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo: quae autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt . . . . Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam » (Rom. XIII, 1, et seq.).

Una tantum fit exceptio a generali hac subiectione, scilicet quando lex humana impugnat legem divinam: Tunc enim cum Apostolis dicendum: « Vosmetipsi

iudicate si obedire oportet Deo magis quam hominibus. » Et huic praecepto obtemperantes christiani inde ab initio Ecclesiae, in reliquis omnibus subditi imperatoribus, restiterunt eorum mandatis sacrificandi falsis diis, et millia millium martyrum sanguinem fuderunt et horrenda quaeque supplicia passi sunt, ut Deo fideles manerent, iuxta exempla gloriosa Machabeorum fratrum in Veteri Testamento.

Si ex una parte gravissimis verbis Deus subditos monet, ut debita cum reverentia et obedientia subiecti sint potestati; ex altera non minus graviter reges et iudices exhortatur, ut officii sui obligationibus satisfaciant: rex enim Dei minister est in bonum, et ideo gladium portat: neque grex pro pastore, sed pastor pro grege constituitur. Innumera sunt loca S. Scripturae in quibus de hisce agitur. Sufficiat ex omnibus huc afferre verba ex Lib. Sap. (vi. 2 et seqq.). Audite ergo reges et intelligite, discite iudices finium terrae... quoniam data est a Domino potestas nobis et virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrenda et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura illi est de omnibus.

De cetero nihil interest forma ipsa gubernii, qua regitur populus: coram Ecclesia eisdem iuribus gaudent et imperatores et reges, et praesides reipublicae

et populi senatus; ita olim agnovit et monarchias sive absolutas sive constitutionales, et respublicas Venetiarum et Helvetiorum, et minimam etiam S. Marini, intra limites patrimonii S. Petri conclusam: ita deinceps agnovit rempublicam Americanam, et facta separatione ab Hispania, Mexicanam et ceteras omnes hispanicae linguae respublicas per totam Americam, unice requirens libertatem Ecclesiae et iustitiam in legislatione. Ecclesia scilicet et Romani Pontifices semper debitam distinctionem sustinuerunt, inter potestatem seu gubernium et modum quo ille, qui potestatem exerceret aut gubernio praesesset, designaretur.

Et hoc nuperrime etiam docuit PP. Leo XIII in in Encycl. *Diuturnum illud* « Recentiores per plures eorum vestigiis ingredienti sibi superiori saeculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem, inquit, potestatem a populo esse: quare qui eam in civitate gerunt, ab iis non uti suam geri, sed ut sibi a populo mandata est revocari, hac quidem lege, ut populi ipsius voluntate, a quo mandata est, revocari possit. Ab his vero dissentiunt catholici homines qui iura imperandi a Deo repetunt, veluti a naturali necessarioque principio.

Interest autem attendere hoc loco, eos qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam causis voluntati iudicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica.

Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum.

Neque hic quaeritur de rerum publicarum modis, nihil enim est cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo iustus sit, et ad

communem utilitatem intentus. Quamobrem, salva iustitia, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio aut maiorum institutis moribusque magis apte conveniat.

Amplectens omni cum reverentia hanc doctrinam S. Ecclesiae prorsus conformem S. Scripturis, verbis et exemplo Christi Domini et Apostolorum praedicationibus, Synodus haec Antequerensis pro norma fidelium sequentia statuta decernit:

I. — Deum cognoscant, ut principium a quo omnis auctoritas procedit, cuius voluntas est fundamentum omnis societatis, sine quo, nec ius, nec obligatio, nec iustitia consistere possunt.

II. — Ecclesiae obediant utpote a Deo constitutae in persona Vicarii Christi Domini, Summi Pontificis; dein Episcoporum et Parochorum et aliorum ab illis iurisdictionem et auctoritatem accipientium, eisque debitam cuique pro gradu suo reverentiam tribuant et amorem.

III. — In ordine domestico mulier subdita sit viro suo, filii parentibus, famuli domino suo; haec est enim voluntas Dei beneplacens et perfecta.

IV. — Similiter in gubernio civili fideles agnoscant Dei auctoritatem et reveantur: a Deo enim omnis potestas. Nemini proin liceat ordiri conspirationes ad evertendum gubernium, aut dare nomen societatibus secretis, a quibus praecipuae rebelliones politicae praeparari solent.

V. — Qui officio seu munere publico funguntur, memores sint non solum superioribus suis, sed Deo maxime strictam rationem se reddituros.

VI. — Omnes iuxta monitum Apostoli (II. Tim. I, 19) offerant obsecrationes, orationes, postulationes,

gratiarum actiones... pro omnibus, qui imperii dignitate gaudent, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate.

VII. — Gubernium demum civile ex hisce omnibus intelligat Ecclesiam natura sua minime ipsi adversari, sed contra maxime ipsius interesse, ut summa apud fideles auctoritate gaudeat Ecclesia, immo ipsi auctoritati valde propitium esse Ecclesiam protegere et adiuvare. Et ita concorditer cunctis in bonum communem cooperantibus, florebit proculdubio pax, et in concordia utriusque potestatis, civilis atque ecclesiasticae, omnibus dantibus quae sunt Caesaris Caesari, et Deo quae sunt Dei, crescet respublica in Dei gloriam et civium etiam temporalem felicitatem.

#### TITULUS VIII.

##### DE FESTORUM DIERUM SANCTIFICATIONE.

« Quiescere faciemus omnes dies festos Dei a terra. »

Hic est impietatis clamor, tristissimis hisce temporibus ubique terrarum personans! Huic inferorum voci conatus respondet illius perversae sectae cultui satanico dicatae, quae, legem contra Dei legem statuere cupiens, sacrilego intentui operam dat, exitu heu valde lamentabili: sed etiam huic malignantium proposito, Antequerense Concilium resistere volens, festos dies servandos stricte et fideliter praecipit, sequentia decernens:

I. — Sanctissimis hisce diebus ab omni temporali negotio vacare debent, nec ullum laborem assumere sine necessitate. Memento ut diem Sabbati sanctifices ait Do-

minus. Vacare ab operibus servilibus praecipitur ut dies integer Domino consecratur. Huiusmodi dies per antonomasiam dies **Domini** seu Dominicus dictus sanctificatur, si post Missam auditam bonis operibus impendatur, ait parvus catechismus. Ideo huius Provinciae fideles, omnes et **singuli** toto cordis affectu curare debent, ne ullus quidem ab excellentissimo cultus catholici actu, Missae nempe sacrificio, absteineat; et in quantum fieri possit, **ei** qui solemniter celebratur quam plurimi intersint.

II. — Verbum **Dei** audire vel legere, christianam doctrinam discere vel docere, ad caritatis opera incumbere; haec, **benedictiones** coelestes super populos et nationes **descendere** faciunt, omnisque generis prosperitates afferunt.

Haec dies una **in** hebdomada, tali modo adhibita quantum proficeret ad bonos mores servandos, ad pietatem Religionemque fovendam ac tuendam!

Quae de **Dominica** die diximus, de ceteris diebus festis respective **intelligendum** volumus.

III. — Omnes **igitur** huius Provinciae Christi fideles tenentur **sub** poena peccati mortalis sequentia festa observare:

Imprimis dies **Dominicas** totius anni.

Dein sequentia Festa:

Nativitatis **D. N. Iesu Christi.**

Circumcisionis » »

Epiphaniae » »

Ascensionis » »

Corporis **Christi.**

Conceptionis **B. M. Virginis.**

Purificationis » » »

Annuntiationis » » »

Assumptionis **B. M. Virginis**

Nativitatis » » »

Apparitionis » » » de Guadalupe.

S. Patriarchae Ioseph.

Nativitatis **S. Ioannis Baptistae.**

Ss. Apostolorum **Petri et Pauli.**

Omnium Sanctorum.

IV. — Omnibus diebus Dominicis inter Missarum solemnities parochi subditis annuntient festa recolenda, dies ieiunii ex praecepto, quae in sequentem hebdomadam inciderint, vigiliis et rogationum dies; moneantque fideles de indulgentiis quae lucrari possunt.

V. — Devitent vero christiani diebus Dominicis aliisque festis comessationes, ebrietates et cetera quibus festi dies profanantur et parvuli scandalum patiuntur.

#### TITULUS XI.

##### DE IEIUNIO ET ABSTINENTIA.

Indubium est, haud exigua christianae vitae accedere incrementa, in ieiunii et abstinentiae disciplina ab Ecclesia instituta. « His nempe caro, quae semper concupiscit adversus spiritum » (Gal. v, 17) « et secundum quam vivere prohibemur, ne moriamur » (Rom. VIII, 13) crucifigitur cum vitiis et concupiscentiis eius; mens ad coelestium contemplationem et desiderium expeditior redditur; pro admissis peccatis Deo satisfacimus eiusque clementiam impetramus. Unde Ecclesia Deo gratias agit, qui corporali ieiunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia (Praef. Quadrag.), eumque supplex invocat, qui iustis praemia meritorum, et peccatoribus per ieiunium veniam praebet (Oratio feriae IV Hebdo IV Quadrag.).

Abstinentiae legis quoddam vestigium invenitur ab initio mundi; cum enim Creator Dominus in paradysum induxit primos parentes, legem de non vescendo fructu arboris in medio paradisi positae dedit eis, denuntians mortem nisi obedirent (Gen. ii, 17).

Idem vero Dominus, per servos suos prophetas, ieiunium veluti poenitentiae opus sibi acceptum saepissime commendavit: Moyses et Elias ieiunio paraverunt se ad propriam missionem adimplendam. Salvator quoque noster, licet nullis poenitentiae subsidiis indigeret, tamen statim post baptismum quadraginta diebus et quadraginta noctibus ieiunavit (Matth. iv, 2), simulque praedixit discipulis suis, postquam in coelum ipse ascendisset, ieiunaturos esse (Matth. ix, 15). Quod autem nuntiatum est, adimpleverunt Apostoli et fideles cum ipsis, ut sacrae testantur scripturae. Catholica deinceps Ecclesia in canonicam disciplinam legem retulit ieiunii, quod ab omnibus servari praecepit per quadraginta ante Pascha dies, necnon et aliis anni temporibus, prout optime congruum in Domino iudicavit. Quamvis autem rigor antiquus tum abstinentiae, tum ieiunii, dispensationibus indulenter concessis a piissima Matre Ecclesia, ob temporum iniquitatem hominumque imbecillitatem temperatus sit, ut in pia corporis afflictione parum remaneat, non tamen ob hoc iudicandum est Ecclesiam constanter imminui vel relaxari velle ieiunii legem, sed potius observari, sicuti Pius Pp. IX in praescripto 1868 declaravit.

Nos igitur Sacrosanctae Tridentinae Synodo praescriptionibus obtemperantes, quibus pastores iubentur omne adhibere studium ad fideles cohortandos, ut ea quae ad domandam carnem conducunt, praesertim ciborum delectum, et ieiunium omni diligentia comple-

ctantur (Sess. xxv, Decr. de *Delec. cibor.*): haec monenda in Domino iudicamus:

I. — Animarum pastores, divinique verbi praecones, populum saepe edoceant, tum quae sit ieiunii ecclesiastici obligatio, tum quae eiusdem ratio et finis.

II. — Ne ignorantia delinquant fideles, opportuno et solito more nuntientur dies quibus ieiunare debent, et adventante praesertim Quadragesima, summo zelo admoneantur ad hoc sacratissimum tempus omni pietate et poenitentiae spiritu colendum, imitantes Dominum Nostrum Iesum Christum in deserto ieiunantem et orantem. Sunt enim, ait S. Carolus, illi quadraginta dies quasi totius anni decima quaedam quae in oblatione ieiunii pro fidelium omnium salute Deo consecratur (Conc. I Mediol. pars ii, cap. vii). Dum sanam populo doctrinam tradunt, omnibus inculcent, ut in huius praecepti observatione occasionem arripiant catholicae fidei, et erga Christi Ecclesiam obedientiae palam profitendae, inobedientia enim fidei emortuae documentum est.

III. — Ostendant pastores animarum quomodo etiam abstinentiae lege obstringantur septennio maiores: lege autem ieiunii, qui vigesimum primum aetatis annum egressi sunt (S. Thom. ii<sup>a</sup> ii<sup>ae</sup> Quaest. 147, art. 4) et quomodo eximuntur illi, quos aut aetas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas deobligat.

Ne tamen in erroneam conscientiam inducantur fideles, parochi saltem generatim eos doceant qui certo teneantur qui vero excusentur, ostendentes, qui sunt labores aliaeve causae a ieiunii onere eximentes; moneantque ne in dubio proprio iudicio definiant, nisi de casu urgentissimo agatur; tum enim ex adiunctis ipsimet christiana prudentia iudicare poterunt.

IV. — Dies vero quibus ad ieiunium et abstinentiam vel ad solum ieiunium tenentur, et quidem sub gravi (Conc. III. Mex. et aliae posteriores hodie vigentes dispositiones), omnes huius Archiepiscopatus et Provinciae, utriusque sexus fideles (exceptis Indis), sunt sequentes: Imprimis omnes dies Quadragesimae (praeter Dominicas in quibus neque ieiunium est neque abstinentia), fer. IV cinerum, feriae VI, et IV, V, VI et Sabbatum, maioris hebdomadae, in quibus ad utrumque tenentur; vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae 23 Iunii sine abstinentia; vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli, 28 Iunii, cum abstinentia; vigilia Assumptionis B. M. Virginis, 14 Augusti, cum abstinentia; vigilia Omnium Sanctorum 31 Octobris, sine abstinentia; vigilia Nativitatis D. N. Iesu Christi, 24 Dec. cum abstinentia; vigilia Pentecostes cum abstinentia ex consuetudine. Ex praecepto quoque ieiunare tenentur sine abstinentia in diebus quatuor Temporum qui duodecim sunt, scilicet: Tempore hiemali, feria IV immediate post festum S. Luciae, cum feria VI, et sabbato seqq.; Verno, feria IV et VI, et Sabbato post Dominicam Quadragesimae primam; Aestivo, feria IV, VI et Sabbato post Dominicam Pentecostes; Autumnali, feria IV, VI et Sabbato post festum Exaltationis Sanctae Crucis.

Dies autem quibus Indi ieiunare ac simul abstinentiae legem servare tenentur (ex Constitutione *felicis record.* Pauli Pp. III) sunt, omnes feriae sextae Quadragesimae, Vigilia Nativitatis D. N. Iesu Christi et Sabbatum maioris hebdomadae.

V. — Parochos habere prae oculis oportet tum S. Poenitentiae responsiones, quae pro ieiunii et abstinentiae lege mitiganda vel explicanda datae sunt; tum privilegia Americae a pluribus Pontificibus concessa.

VI. — Virtute solitarum (xxvii) tempore ieiuniorum et Quadragesimae possunt Episcopi quando expedire videbitur, dispensare super usu carni, ovorum et lactiniorum, in Mexicana Ditione. Mos autem est ut hanc dispensationem concedant singulis bienniis per decretum ab ipsis latum.

VII. — Instanter denique suademus piis fidelibus ac praesertim clericis et sacerdotibus, ut totum proprii ieiunii exercitium et abnegationis cuiuslibet sacrificium, Deo simul offerant in satisfactionem pro plurimis peccatis et omissionibus, quibus ieiunii osores, et legis Ecclesiae contemptores Maiestatem divinam offendere non reformidant. Utinam eiusmodi satisfactionis sacrificium omnibus, pro quibus offertur sit propitiabile illisque copiosam poenitentiae gratiam impetrare a Domino valeat.

#### TITULUS IX.

##### DE MEDIIS AD PIETATEM FOVENDAM.

Ex Concilio Vallisol. sequentia desumere opportune iudicamus:

#### § I.

##### *De pietate seu cultu domestico.*

Auctor societatis domesticae, ipsiusque rector cum sit Deus, a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur (Ephes. III, 15) merito in privata familiarum vita colendus est sincera ac debita pietate, ad religionis sensus alendos ad fidem confirmandam ac profitendam, coelestem Patrem glorificandum, eiusque copiosam benedictionem in omnibus assequendam.